

Quid differunt timor seruilis et filialis?

[112:] Timor Dei seruilis est fuga et fremitus aduersus Deum sine fide. Talis est contritio in Cain, Saul, Iuda.²⁰⁰ Timor Dei filialis est verus pauor et dolor animi consternati sensu irae Dei et metu poenarum ad quem accedit fides, 5 quae inter pauores erigit et consolatur corda et accedit ad Deum, petit et accipit remissionem. Talis est contritio Petri²⁰¹ et omnium sanctorum in tota vita et haec fit opus Deo placens et cultus Dei iuxta dictum: „Sacrificium est Deo Spiritus contritus.“^{w202}

Quid est cultus Dei?

10

Cultus Dei est opus mandatum a Deo, factum in fide, id est vera agnitione et fiducia mediatoris, quod refertur ad hunc finem, vt Deo tribuatur honos, id est, vt testemur hunc vere esse Deum, quem sic colimus, et eum sic velle coli.

[113:] Quid docent papistae de poenitentia?

15

Partes poenitentiae constituunt: contritionem cordis, confessionem oris, satisfactionem operis. Omittunt igitur fidem, quae est praecipua pars verae poenitentiae et illis ipsis partibus, quas recensent, addunt horribiles errores, vt explicatur alibi copiosius.

^w contribulatus: G.

²⁰⁰ Vgl. Gen 4,9; I Sam 24,17–22; Mt 27,4f.

²⁰¹ Lk 5,8.

²⁰² Ps 50,19 (Vulg.).